

I N V I T A S
P A T R I A R C H A R U M A Q U I L E J E N S I U M
P R A E F A T I O
L U D O V I C I A N T O N I I
M U R A T O R I I.

Ferdinandus Ughellus V.C. Tomo V. Italiae Sacrae Aquilejenium Patriarcharum seriem ac Vitas proxime elapso Seculo nobis dedit; eoque in labore illum praecesserant Dandulus, Sigonius, Panvinius, Sabellius, Leander, Doglionus, Claudius Robertus, & fortassis omnium diligentissime Johannes Candidus. Suprvacaneum itaque videri possit, post tot Scriptores in eodem stadio versari, atque eruditis oculis maceriem minime novam exhibere. Dignitas tamen Aquilejensis Ecclesiae facit, ut libenti animo accipendum sperem & hunc Libellum. Siquidem in eo quaedam non contemnenda habentur, aliis ignota, & digna profecto, quae ad posteros transeant. Quis Opusculi Auctor fuerit, prorsus ignoro, quem nullius nomen in Ambrosiano Codice appareat, unde illud exscripsi. Tempus autem, quo vixerit, conjecturis nonnullis assequi possumus. Quum Catalogum suum perducat hic Scriptor usque ad Nicolai Patriarchae mortem, scilicet usque ad Annum Christi 1358, nihilque referat de Ludovico Turriano illius successore, veri mihi videtur simile, sub eodem Ludovico, aut non longe postea, conscriptum fuisse Opusculum. Certe ante Annum 1420, haec literis mandata fuerunt, ut illinc discere possumus, ubi de Sancto Marco legitur: *Evangelium propria manu scriptum, quod HODIE in Aquilejensi Ecclesia omnibus videre volentibus demonstratur.* Illustrissimus vero Fontaninus nunc Archiepiscopus Ancyranus in Epistola quadam apud Cl. V. Patrem Bernardum de Mont-faucon legenda in Diario Italico pag. 56. ostendit, vetustissimum Evangelii memorati Codicem Venetias, ubi nunc servatur, circiter Annum 1420, fuisse delatum. Quare intelligas, ante ea saltē tempora Scriptorem nostrum haec literis confignasse. Quanta vero fide ac sedulitate in his referendis usus ille fuerit, non vacat in praesentia disquirere. Laudato Clarissimo Fontanino hujusmodi curam ac studium relinquere juvat, quippe qui Forojulienium res, patriaeque suae Historiam amplissimis nunc & elaboratis commentariis persequitur. Uberius ille nos docebit, quantum ab Historiae veritate dissentiant, quae heic de anticipata Patriarchatus appellatione, & duobus Peregrinis & Gotredo Patriarchis habentur: reliqua vero pro sua eruditione aut corriget, aut novis luminibus augebit.

Et haec quidem praefatus fueram Anno 1713, quum has ipsas Vitas ex Ambrosianae Bibliothecae Codice MSto primum in lucem eduxi, & celeberrimi Seminarii Patavini typis edidi Tomo IV. Anecdotorum meorum pag. 321. Poscit nunc institutum meum, ut ad censum Italicarum rerum accedat etiam Opusculum illud, itemrumque recudatur; & merito sane, quum ad Ecclesiae nobilissimae Historiam illustrandam non parum conducere possit. Hujus autem Historiolae ab Anonymo Auctore profectae mentionem jam pridem fecerat Gerardus Johannes Vossius de Historic. Latin. Lib. 3. Cap. 7. in haec verba scribens: *Ad haec etiam tempora (idest Laurentii Vallae) pertinet Auctor incertus Chronicus Patriarchalis, quod MStum apud Utinenses exstat. Orditur a Christo nato, & pergit usque ad Annum MCCCLXXXVI. quemadmodum indicio mihi fuit syllabus Utinensium Historicorum Venetiis transmissus ab Illustrissimo & amplissimo Dominico Molino.* Sed melius heic, ut nemo non videt, ineunda erant Vossio rationes, quum ad tempora Vallae, atque adeo ad Annum 1460. pertinere scribat Historiam hanc, quam tamen ipse fatetur deductam ad Annum tantummodo 1386. Immo in Ambrosiano Codice eadem vetuliorem adhuc exhibet Auctorem: ibi enim consistit ille, ut antea monui, in morte Nicolai Patriarchae, hoc est in Anno 1358. Et sane, uti animadvertisit Cl. Vir Apostolus Zenus Augustissimi Caesaris Caroli VI. felicissime imperantis Historiographus & Poëta